

sacellum beatissimae virginis matris et advocatae nostrae in Neuses. Et

1668. die 21. Novembris in festo praesentationis imago miraculosa, sive statua dolorosa matris virginis cum solenni processione a venerabili conventu, comitante dom. abbate et familia et 4 parochiis, reportata fuit in locum suum, ubi antiquitus culta, sollicitata et multorum solatio invocata fuit. Habita concio a praeside archifraternitatis sacrosancti rosarii, cantato: „te deum etc.“, data fuit solennis benedictio a domino abbate et sequenti die venerabili conventui solatium datum pro memoria restituti sacelli et reassumpta observantia, ut singulis sabbathi diebus ibi legatur sacrum; quod et fit et fieri debet\*. Die 27. Novembris celebratum est in ipso sacello sacrum musicum, praemissa ipsius templi benedictione ex agenda Herbigolensi facta a venerabili patre priore Roberto Hartmann.

Anno 1669. ecclesia major lapidibus quadris ex Orendelsall advectis strata fuit. Complura dolia vinaria pro instante largo autumnno, magno pretio comparata, constructa, hic et alibi empta. — Mense Septembri Gandia civitas et regnum transit a Venetis ad Turcas.

Anno 1670. 27. Martii rev. pater Franciscus Kraf, praepositus in Mergentheim, primum lapidem cum caeremoniis posuit in Sinningen ad ecclesiolam ibidem superstruendam. — Mense Junio comites de Hohenlöe-Neuenstein invaserunt ecclesiolam in Weldingsfelden et exercitium Lutheranicum celebrari fecerunt, dum autem dominus abbas ab eminentissimo ut episcopo Herbigolensi opem quaerit, ille causam tradit Moguntinis, qui pagum Weldingsfelden cum iure superioritatis Moguntinae adungere et satrapiae in Crautheim incorporare attentant, cum gravi et longo periculo monasterii.

1671. Per tinctorem Wimpinensem dealbata et colorata fuit tota ecclesia, claustrum, dormitorium, musaeum, refectorium et magna pars abbatiae pro 100 fl. — Perfecta hoc anno ecclesiola sancti Viti in Sinningen\*\* cura rev.\*\*\* patris praepositi nostri Francisci Kraf, sumptibus ecclesiae et subditorum, constituit

\* Die Bestimmung, daß die am Samstag zu lesende Messe zur Ehre der hl. Maria sei, findet sich sehr häufig.

\*\* Sinningen, D.-N. Mergentheim.

\*\*\* Da hier der Propst reverend. genannt wird, während der Abt stets nur mit dominus abbas angeführt wird, so muß man vermuten, daß alles Dieses nach dem Tode des Abtes Christoph Sahn geschrieben wurde, als der damalige Propst Franz Kraf Abt war 1675—83. Dieses ist ebenfalls ein Beweis, daß Joseph Müller von Grovdahofen der Verfasser dieser vita ist. S. unten am Schluß dieser Lebensgeschichte die Note.

700 fl. Majus altare sumptibus monasterii a dom. abbate constructum a 60 fl. Unum laterale princeps ordinis Teutonici, tertium rev. pater praepositus. — Cum hoc anno Weldingsfeldiae\* concionari tentaret acatholicus parochus in Hobach, a 20 equitibus Jagstbergam\*\* abductus est. 30. Aprilis allatae sacrosanctae reliquiae ex monasterio Veteris Montis\*\*\*, a rev. dom. Godefrido abbate, de societate sanctae Ursulae etc. cum reverentia et celebratione sacri depositae in altari agoniae domini. — Ut dominus abbas Christophorus pecunias suas istis periculosis bellorum temporibus utiliter et secure elocaret, quasi pro ultimo monumento laboriosissimae administrationis suae abbatialis, oblata sibi optima intentione ab eminentissimo Moguntino nobilia bona praedii et antiquae arcis Aschauen emit pro 31,000 fl. pleneque tribus terminis solvit, ut in manuali et protocollo fuse legi potuerit c. p.

1672. elector Moguntinus emenda nobis obtulit 28 jugera pratorum apud Crautheim pro 1000 fl., quae et empta sunt a domino abbate dictoque pretio soluta 23 Martii. — Ob transitus multorum militum Lotharingorum a parte caesaris contra Gallos pagi et subditi nostri prae aliis vehementer gravati, ipsum vero monasterium locationum magistris Moguntinis et Herbigolensibus et belli officialibus. Metu quoque graviorum periculorum ob imminens bellum pretiosior ecclesiae et monasterii suppellex Heilbronnam abducta. Eodemque tempore cellarius Crautheimensis ultimum terminum debiti de Aschauen 3000 fl. a domino abbate accepit nomine electoris.

Anno 1673. 12. Februarii in dominica „Quinquagesimae“ vesperi hora 6 obiit Herbigoli eminentissimus dom. dom. Joannes Philippus a Schönborn, archiepiscopus Moguntinus et episcopus Herbigolensis etc. — Post hujus obitum, hoc ipso anno in mense Septembri Gallis, duce Tourennio, per Tuberanam vallem dispersis, magnus metus nostros invadebat, unde dominus senex abbas cum priore suo, venerabili patre Roberto, primo Hallam Suevorum, deinde cum pluribus aliis Heilbronnam confugit. Tandem paucissimis remanentibus intra monasterium, ab excubiis subditorum et scripta salva guardia munitum, alii quidam Heilbronnam ad dominum abbatem, quidam Herbigolim per ipsos Gallos, sed longis ambagibus penetrantes fugam capessabant die 11. Octobris

\* Weldingsfelden, D.-N. Künzelsau.

\*\* Hobach, D.-N. Künzelsau. Jagstberg, D.-N. Künzelsau, damals fürst-bisch. Wirzb. Amtssitz.

\*\*\* Ist das Kloster Altenbergen oder Vieille-Montagne bei Lutich.